



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Joannes Chrysost. Episc. 27. Ianuarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

exhorrescere Divum videret, audaciâ linguam armante, *Nosce nos*, ait, *amabo*. At POLYCARPVS, vultu ad severitatem composito, id tantum respondit, *Novi equidem primogenitum Sathanae*. Cæterum Romæ cum degeret, divinitus de morte suâ edoctus, lictoribus obviam progreditur. Sub pugnae initium voce è cælo animatur, jamque Christo malè jussus dicere: *Quî*, inquit, malè illi possum dicere, qui ipsos LXXX. annos famulanti sibi mali nil fecit unquam? Ergo ad rogam damnatur. Sed virtutem ipse absolvit ignis, dum tangere veritus structâ velut è flammis porticu ambit innocentem, nec jam lædit, sed tegit, suavissimum interim in adstantes odorem ejaculatus. Ad extremum gladio confossus sanguine ignem extinxit, nobili nimbo, & quem vel suis imbribus cælum præfert. *Ex Surio.*

*Quomodo tu hodie in mundo constitutus & cras tribunali Dei presentandus audes blasphemiam proloqui? & non metuis ne fortè ignis de calo descendat & te devoret; tuum os adversus omnipotentem aperis, neque vereris ne terra sub te disrumpatur & te absorbeat? S. Ephrem paræn. 83.*

S. JOANNES CHRYSOST. EPISC.

27. Januarii.

CHRYSOSTOMVM laudibus suis pingat alter Chrysoſtomus; nos umbram damus. Nondum Pontifex Byzantinus erat JOANNES, cum in ejus cōspectum se dedit Apostolorum Princeps D. Joanne Evang. comite, & sanctioris potestatis ac magisterii indices claves illi ac librum obtulit. Et verò quid mirum, si hoc Doctore etiamnum orbis gaudeat, qui præceptorem magnum Paulum,

28. Ian.

VITÆ SANCTORVM.

61

lum, imò eundem cum Paulo magistrum Spiritum S. habuit? Nam hunc obvolitantem capiti suo, dum sacris operaretur, conspexit ipse; illum, dum ad mensam scriberet, assistere dictanti similem alii etiam viderunt. Talis itaque JOANNES cum urbe suâ hæreticos, & cum his vitia alia, ac blasphemiam imprimis proscriberet, sanctæ libertatis vindex acerrimus, æqui justiq; unicus amator in odium Augustæ Eudoxiæ incidit: nam JOANNES imperii sui etiam in Reges memor templi aditu gravibus ex causis profanam prohibuerat, & in statuam ejus, quæ propter templum choreis ludisq; non sanctis colebatur, graviter detonuerat; jamq; secundum exul in meliorem patriam cælum abiit, ad id à geminis, quos supra memoravimus, Apostolis & D. Mart. Basilisco invitatus. Siluit itaque aureum hoc os anno post reparatam salutem septimo supra quadringentesimum. *Ex Surio.*

*Tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam; sit tibi vel oratio assidua, vel lectio; nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum; ille te præceptis suis instruat, ille disponat: quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet.* S. Cypr. Ep. 2. ad Don.

S. JACOBUS PŒNITENS.

28. Januarii.

**H**ominis, mi lector, speculum cape & peccantis & pœnitentis, JACOBVM inspice. Hic postquam Anachoretæ XL. omnino annos DEO militavit, miranda maxima patravit, trophæa de hoste inferno statuit plurima, id ætatis vir à feminâ demum triumphatur, & ab eâ feminâ, in quâ ipsum cacodæmona non horruerat, imò è

C 7

quâ